


Nouvel

De magistris equitum.





Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-727454-p0002-9

DFG

82

DE
MAGISTRO EQVITVM 1380
EX
ANTIQUITATE ROMANA
COMMENTATIO
VIRO CLARISSIMO
**CAROLO AVGVSTO
STRVENSEE**
PHILOSOPHIAE ARTIVMQUE LIBERALIVM MAGISTRO
N V N C
IN ACADEMIAM EQVESTREM LIGNITIENSEM
MATHESEOS AC PHILOSOPHIAE
PROFESSORI VOCATO
D I C A T A
A
IOANNE AVGVSTO NOESSELT
HALENS.

HALAE MAGDEBURGICAE
EXCVDEBAT IOAN. FRID. GRVNERT.
M D C C L V I L.


20.4.06.
GK 2825



33

T Y T U S C O M P O N E D U
M I M M I S T A T I V O I T H A
C I T A T E M M O
A V I E Q U A R I S S O M O
O T A G O D A V A G A S T O
B R A V A N G A M
O N T E I D A M M V L I A S S E M P O C I T R A A C H I C O C H I
M I C H I T I T I C H I M M E R I C H O I M A H I C H A D A . VI
S A R I C H O D O T O D I T I N T I T I A M
O T A C C O R I A V O C C E S S O R I
D I O A T A
A
T Y T U S A V A V A L T O M O E S S E M T

A
M P E C I A T I
M P E C I A T I
M P E C I A T I



ARGUMENTVM.

- Prima occasio Magistrum Equitum
creandi. §. I.
Contigit A. V. C. CCLVI. DIONYSIO HALICARNASSEO ma-
ior p[re] LIVIO auctoritas affer-
ta. §. II.
M. E. cum dictatore semper §. III.
Et in omnibus quidem officii parti-
bus coniunctus fuit §. IIII.
Caussae, cur dictatores nonnumquam
creati sint. §. V.
Munus Magistri Equitum cum dicta-
tore i) rei gerundae caussa. Equi-
tes ducebat. §. VI.
Vnde nomen eius. §. VII.
2) Comitorum consularium caussa.
Rogabat sub dictatore. §. VIII.
3) quaestionum exercendarum. Vo-
cabant in iudicium, et Quaeſitor
erat. §. VIII.
4) Alio in casu quid fecerit?
§. X.
- Magna Mag. Equitum dignitas. §. XI.
Iura eius: Senatum conuocandi
§. XII.
et Comitia habendi. §. XIII.
Neque tamen imperium eius dictato-
ris imperio aequale fuit, nisi se-
mel. Error Plutarchi. §. XIV.
Insignia M. E. §. XV.
M. E. dictatori subiectus erat, at-
que hic in illum ius vitae ac necis
habebat. §. XVI.
Eligebatur M. E. a solo dictatore.
§. XVII.
Non semper ex equitibus, initio
ex patriciis, postea ex plebe.
§. XVIII.
An in comitiis? noctu? quibusque
auspiciis? §. XVIII.
Quamdiu imperium habuerit?
§. XX.
Quando dignitas M. E. e re publi-
casublata fuerit? §. XXI.

A 2

Cum



Cum mihi nuper admodum dixisses, **VIR CLARIS-**
SIME, forc, vt, relicta patria amicisque
TVIS, in academiam **LIGNITIENSEM**, Equi-
 tum nobilium erudiendorum caussa constitutam,
 Regia auctoritate vocatus, abires: videbatur
 equidem mihi amicitia, quae inter nos a prima aetate maxima fuit,
 non permittere, vt amoris erga te mei, summaeque, quam de
 prouincia tibi clementissime oblata ceperam, laetitiae nullum
 exstaret, idque publicum testimonium; sed comitem tibi dan-
 dum suadebat libellum, qui tibi absentis mei memoriam pristi-
 namque consuetudinem in animum subinde reuocaret. Atque hic
 circumspicienti mihi argumentum, quo efficerem, ne sine veste
 quasi prodiret publica salutatio tui: efficiebat nescio quae voca-
 bolorum affinitas, vt **MAGISTRVM EQVITVM**, tibi, qui et
 ipse **MAGISTER** appellaris, et nunc quasi **EQVITVM MAGIS-**
TER constitueris, ex antiquitate Romana exhiberem. Cui pro-
 posito vt insisterem, commouebat me id quidem maxime, quod
 neminem adhuc viderem in exponendo Equitum apud Romanos
 Magistro, ex instituto laborasse. Quocirca nec tibi, cui maio-
 ra omnium disciplinarum incrementa curae cordique esse memini,
 nec aliis, qui, quantum his studiis alia quoque haud parum ad-
 innuentur, non ignorant, displicitum esse institutum arbitror,
 si, quae in veterum commentariis subobscura saepius, in recen-
 torum libellis non satis, ac pro argumenti dignitate tractata vi-
 dentur, de Magistro Equitum, paulo vberiora faciam. Ad quem
 per centendum cum exiguum mihi profecto tempus ipsa discussio
TVA, praeter opinionem praecipitata, reliquerit; si festinanter
 interdum disputasse, nec satis accurate videar, ipsa, opinor,
 meam apud omnes caussam, mea erga te amicitia perorabit.

I.

TARQVINIVS, cognomine SP̄PERBV̄S, cum videret nullis nec minis nec clandestinis consiliis, ut ereptum sibi regnum restituerent, commoueri Romanos posse, cum OCTAVIO MAMM̄IO, genero suo, vicinos Romae populos circumire, eosque idemtide ad bellum excitare coepit. Qui cum semper inferiores recessissent, quotiescumque arma cum Romanis contulerant, postremo vniuersae Latinorum genti persuasit, vt ad frangendas eorum vires insurgerent. Atque hi quidem principio Fidenatibus, iam a milite Romano obfessis, occurrere decreuerant; mox, capta iani ab hostibus vrbe, omnes foederis socios sanctissimo iure iurando obstrinxerunt. Neque hoc non metuebant Romani bellum. Quamvis enim quoq̄ fere tempore victores reuertissent, numquam tamen tot tantique rei publicae hostes exstiterant, maximaque inter patres plebemque discordia non metum senatus solum, sed instans etiam vrbi periculum quam maxime augebat. Namque qui ex plebe erant, nisi obaeratis a creditoribus debita remitterentur, nomina se daturos negabant. Hanc ob rem conuocato senatu, patres de decreto dissentiebant; plebs contra, si post bellum differeretur causa, pessimum id fore existimans, capiendum a patribus ex arena consilium flagitabant. In hac tantarum expectatione rerum sollicita ciuitate, nouum creare magistratum patres censuerunt, qui maiori auctoritate et bellum gereret, et resisteret plebis insultibus, cui nullum, hoc creato, vsquam nisi in cura parenti auxilium esset. Consentit populus, patrum consilia non animaduertens. Itaque primum *Dicitorem* (id enim erat noui magistratus nomen) dicere placuit T. LARTIVM, virum Consularem, qui vnicus in vrbe et regia plane potestate, quamvis non ultra sex menses, regnaret. Atque hic sp. CASSIVM, qui paucos ante annos Consul fuerat, *Magistrum Equitum* creauit.

II.

Haec fere DIONYSIVS HALICARNASSEVS (1). Cuius auctoritatem me fecutum esse quidam mirabuntur, qui LIVIVM, A 3 praec-

(1) Antiquitatum Romanarum libro V. Edit. Lipsiensis p. 326. seqq.

praestantissimum Romanae historiae interpretem, alia omnia de occasione dictatoris dicendi narrantem (²) legerunt; maxime cum audierint, in subducendo annorum calculo DIONYSI fidei post positam a me esse LIVII auctoritatem. Namque is, dictatorem et adiunctum ei Equitum Magistrum belli Sabini ac Latini meta dictum quidem, sed factum id esse aliis Consulibus, annoque V. C. CCLIII., nec ob tumultum a plebe aeris alieni causa (quod recentius accidisset) excitatum, refert; cum id demum in annum V. C. CCLVI. DIONYSIVS reiciat. Sed iustis rationibus moti videtur nobis ab auctoritate LIVII recessisse. Primo enim obseruarum est multis, et his certe non indoctis viris (³): LIVIVM noluisse antiquissima quaevis populi Rom. gesta accurata explicatione prosequi, sed ea potissimum mandare litterarum monumentis, quae paullo ante bellum Punicum secundum ad suam usque aetatem gesta a populo Rom. fuissent. Iccirco DIONYSIVM de antiquiore Rom. historia differentem LIVIO preferendum esse nullus dubito, cum in isto historiarum genere, LIVIVS festinanter, DIONYSIVS res diligentissime persequatur. Atque hoc maxime in recensendo rerum ordine intelligitur; siquidem commentarii Dionysiaci annos, quibus quaeque res facta est, ad Graecorum computandi rationem, maxime ad seriem Olympiadum referunt, singulique se euentus miro quodam ac facili ordine excipiunt. Deinde in ipsis his quae de argumento nostro LIVIVS protulit, et multa sunt, quae pugnare secum ipsa videntur, et quae occasionem dictatoris Equitumque Magistri dicendi a DIONYSIO commemoratam confirmant. Ut enim nunc nihil dicam, vix ferri posse hoc, quod LIVIVS creatum utrumque dicat, quoniam Consules ex factione Tarquinia fuissent, et primum tamen dictatorem T. LARTIVM fuisse affirmet, qui, ipso teste, Consul eiusdem anni

(2) Hist. libro II. cap. 18.

(3) IOACH. GRELIVS in prologo de causis differentiationis historicorum in numerandis ac digerendis annis ab urbe condita, praemisso ipsius chronologiae in

TIT. LIVII historiam, ad calcem LIVII Francof. 1588. 8. mai. editi p. 16, et alii a MIDDLETON citati in diff. de Senatu Romano, ver. Germanicæ p. 17.

anni erat, certe id ipsum, quod maximum non modo Sabinos, sed ipsam quoque plebem Romanam incessisse, ait, satis, opinor, demonstrat, etiam plebis coercendae causa dictatorem fuisse constitutum. Intentiores enim ad dicto parendum, creato dictatore, quomodo possunt esse, (ita scilicet LIVIVS), nisi qui ante creatum dictatorem, ad morem gerendum non intenti fuere? Denique vix credi fas est, nihil hunc primum dictatorem egisse; quod tamen LIVIVS et suo silentio, et eo indicat, quod tacitas inducias quietum hunc annum tenuisse affirmet. Quem quidem errorem, nisi fallor, cum alio coniungit. Ut enim, tres annos post pugnam ad lacum Regillum vacuos, assumto calculo suo, relinquì perspiciens, annos in annalibus turbatos in ordinem redigat; hoc quidem triennio nec certam pacem nec bellum fuisse, arque hoc praeterlapso, ipsos Latinos Romanis contra Volscos auxilium obtulisse⁽⁴⁾ inquit, eorumque auxilium postea implorasse⁽⁵⁾. Hocci ne vero fecissent, nisi iam pacem cum Romanis, cuius DIONYSIVS⁽⁶⁾ mentionem iniicit, iniissent? aut dubitaresne, Romanos post pugnam Regillensem integrum triennium quietuisse, permisissimum Latinis, ut vires proelio fractas reciperent? Nihil igitur est, quod impedit, quo minus DIONYSII partes, rem, sicuti exposuimus, et primum Dictatorem Magistrumque Equitum ad A. V. C. CCLVI referentem, relicta LIVII auctoritate, sequamur.

III.

Vidimus (§. I.) Dictatorem statim sibi Magistrum Equitum sumisse. Igitur definitum est: Fueritne umquam dictator sine Magistro? (faciet enim hoc ad explicanda quaedam, quae ad Magistrum nostrum pertinent.) Arque hoc factum esse numquam, et DIONYSIVS⁽⁷⁾ docet, et perpetua cum dictatore Magistri Equitum apud veteres commemoratione. Ex quo saltim consequitur id, si acciderit umquam, ut dictator absque Magistro quodam dicetur,

(4) lib. II. c. 22.

(5) c. 24.

(6) loc. cit. p. 358.

(7) d. I. p. 338: οὐδεὶς εἰς τὸ δὲ κατόπερ
δικτάτωρ αἰγεῖσις καργίς ιππαρχος
τὴν εἴκην διετίθεσται.

retur, hoc praeter omnem consuetudinem accidisse. Quod quidem non nisi ter factum esse reperi. Primum, cum **M**IN**V****C****I****V****S** Mag. Equitum **F****A****B****I****O** dictatori aequaretur ante pugnam Cannensem⁽⁸⁾; quo facto legiones inter se diuidebant, castris quoque separatis continebantur. Itaque dictator tunc sine Magistro Equitum, ille vero nec dictatori cuidam subiectus erat. Post proelium Cannense alium habemus, legendi senatus causa, dictatorem **M**. **F****A****B****I****V****M** **B****U****T****E****O****N****E****M**, quem ex Senatusconsulto sine Magistro Eq. dictum esse **L****I****V****I****V****S** memoriae prodidit⁽⁹⁾. Tertius fuit **C**. **I****V****L****I****V****S** **C****A****E****S****A**R, quem semel absque Mag. Eq. habent **P****L****V****T****A****R****C****H****V****S**⁽¹⁰⁾ fastique ex Capitolinis marmoribus descripti, atque a **S**TEPHANO **V**INANDO **P**IGHIO restituti⁽¹¹⁾.

III.

Fuit autem non solum cum dictatore Equitum Magister creatus, sed cum eo coniunctus etiam in singulis imperii officiis. Id quod pater ex eo, quoniam si vel unius rei administrandae gratia electus dictator esset, in hoc uno munere etiam obeundo semper ipsi ad latus Magister Eq. reperitur, et abrogatus posthaec cum ipso, simulac dictator, vel hoc unico perfecto officio, magistratu se abdicasset. Cuius rei multa occurunt nec obscura exempla. **L****I****V****I****V****S** enim, cum creatum esse dictatorem **C**. **Q****V****I****N****T****I****L****I****V****M** clavi figendi causa dixisset, huncque sibi Magistrum Eq. **L**. **V****A****L****E****R****I****V****M** sumuisse, statim adiicit: *Hi fixo clavo magistratu se abdicarunt*⁽¹²⁾; neccesse est autem, nullo plane, hoc in casu, Magistrum Eq. functum officio esse, nisi eum singulis quoque dictatoris muneribus interfuisse, dicere velimus. Idem demonstratur ex eo, quod communiter vel comitia habuisse⁽¹³⁾ vel ludos fecisse leguntur⁽¹⁴⁾, quod dici non posset, si nulli rei alii, nisi Equitibus,

Magis-

(8) Vide **L****I****V****I****V****S** lib. **XXII**. c. **26**, seq.

(9) libr. **XXIII**. c. **22**. **23**.

(10) in vita Cæsaris, Operum Tom. I. Edit. Parisiens. M D C X X V I I I . P. 725.

(11) ad A. V. C. DCCCV, Tom. XI. thesauri Græuiani Antiq. Rom. pag. 210.

(12) lib. **VIII**. c. **18**.

(13) Livius lib. **VIII**. c. **44**.

(14) Idem libr. **XXX**. c. **39**.

Magister Eq. praefuisse, aut si dictatoris non in quibuscumque officiis socius exstisset. Hoc vero non ita dictum putes, quasi eadem prorsus omnia Magister Eq., quae dictator, fecisset; hoc enim modo non diuersam, sed eamdem plane sustinuerint personam. Sed id dico, nulla in re fecisse dictatorem aliquid absque Equitum Magistro; nisi eodem tempore diuersa dictatoris officia concurrerent, quae non, nisi neglecto alterutro, peragi poterant. Quo scilicet in casu alterum ipse dictator, alterum Equitum Magister administrabat.

V.

Vt vero nunc veniamus ad id, quod quasi est arx disputatio-
nis nostrae, de ipso Magistri Eq. munere dicendum nobis est.
Ad quod definiendum nihil videtur aptius esse quam id, quod di-
ximus, Magistrum Eq. numquam absque dictatore, et hunc abs-
que illo fuisse (III), idque in singulis etiam muneris dictatorii par-
tibus (III). Ita enim, quae Magistri nostri partes fuerint, erue-
re ex huius officiis possumus. Quapropter, quoniam Dictatoris
officium ex rebus perspici potest, quarum perpetrandarum cauſa
dictus fuit, dispiciendum est, quo in casu dicere dictatorem Ro-
manis placuerit. Nobis vero has circumspicientibus, hanc vbi-
que legem obseruatam esse hac in re cernimus, vt dictatores,
quippe qui ad magistratus praeter ordinem constitutos pertinebant,
ad ea officia eligerebantur, quae ab aliis ad haec proprie constitutis
peragi non poterant. Hoc vero factum est, vel ordinariis absen-
tibus, vel si ad eiusmodi rem suscipiendam minus idonei reperi-
ebantur, vel denique, si ad tale negotium maiori quadam opus esse
videbatur auctoritate. Primis rei publicae temporibus obtinebat
id potissimum, quod postremo loco adduximus, vt dictus videli-
cer dictator sit, qui auctoritate sua omnibus superiore res, quae
aliter, nisi per summum nullisque circumscriptum limitibus ma-
gistratum, non videbantur ad finem perduci posse, exsequeretur.
Namque in rebus trepidis, vt ait LIVIVS (¹⁵) ultimum consilium hoc
erat, dictatorem dicere. Itaque dictatores habemus REI GERVNDÆ,

B

SED I-

(15) lib. IIII. c. 56. Item DIONYSIVS libr. V. p. 340.

SEDITIONIS SEDANDAE, REGNIVE OPPRIMENDI CAVSSA constitutos. Postea nec in summo periculo solum, sed alias etiam ob caussas Patres necessariam dictatoris dignitatem censuerunt, cum grauitas rei grauiorem magistratum requirere videretur. Vnde in fastis dictatores REI PVBLICAE CONSTITVENDAE, CLAVI FIGENDI, FERIARVM CONSTITVENDARVM, QVAESTIONVMQVE EXERCENDARVM CAVSSA reperimus. Erant praeter haec alia aliorum quidem propria munera; sed quorum vel absentia vel aliud quoddam vitium impeditiebat, quo minus hi ipsi munere suo fungerentur. Quapropter si hoc euenerit, dictatores interdum, Consulum Praetorumue loco, COMITIORVM HABENDORVM aut LVDORVM; semel etiam, quod alias Censorum erat, SENATVS LEGENDI CAVSSA dicti sunt; sin illud, quoniam male rem Consules gesserant, aut inter se dissidebant sententiis. Quibus in negotiis omnibus cum dictator comitem habuerit Magistrum Equitum; huius nunc officium ex iis, quaemo do dicta sunt, exponemus, expositaque testimoniiis aut probabili conjectura confirmabimus.

VI.

Primo igitur dictatores constituebantur REI GERVNDAE CAVSSA, hoc est, imminente belli grauioris periculo; immo ne ipso semper existente quidem, sed si nonnumquam solus belli rumor percrebuissest (¹⁶). Atque tali in casu partes Magistri Equitum primae in diligendis militibus cum dictatore fuerunt (¹⁷); et cum equitibus, ut mox ostendam, Equitum Magister, relieto reliquo agmine dictatori, praefuerit, videtur in conscribendis potissimum Equitibus fuisse versatus. Deinde, cum aduersus hostes dictator proficeretur; interdum Magister relinquebatur in urbe, ut, si quid repente conficiendum esset, eius opere possent atque celeritate vti (¹⁸); partes autem eius in bello legato cuidam dictatoris

(16) LIVIVS libr. VIII. c. 17.

(17) LIVIVS loc. cit. cap. 38. & libr. XXII. c. 57.

(18) LIVIVS lib. IV. c. 27: Reli-

gus ad praefidum urbis L. IVLIVS
Mag. Eq. ad subita belli ministeria, ne
qua res, qua egissent in castris, mo-
raretur.

toris deferebantur; plerumque vero cum Equitibus procedebat in bellum, atque mitti cum iis a dictatore poterat (19). In ipsa denique pugna equitatui praesesse solebat, cum contra dictator legiones duceret; Cuius rei, praeter alia multa, luculentissimum exstat A. CORNELII dictatoris testimonium (20), qui, cum raros dissipatosque hostes videret, *mibi, inquit, legiones peditumque pugna curae erunt, penes te equeſtre fit decus.* Interdum tamen, negari nequit, Magistrum Equitum non solos in proelio Equites duxisse. Relatum enim apud DIONYSIVM HALICARNASSEVM legimus (21), t. LARTIUM omnem exercitum, pedites videlicet equitesque in quatuor distribuisse partes, nec Equites solos ad signasse Equitum Magistro, sed tertiam vniuersi agminis partem, cum caeteri dictatoris legati equites quoque imperio suo subiectos habuerint; quod idem alia occasione repetitum alio loco idem DIONYSIVS commemorat (22). Quare ita se rem habuisse censeo, ut Magister Equitum consueto quidem more in bello praeſuerit equitibus, in ipso autem proelio, ex ordine totius aciei, nunc omnem equitatum duxerit, nunc vero partem eius cum pedite coniunctam; prout scilicet aciem disponere hoc illoue modo sa-
tius dictatori vifum fuerit,

VII.

Ex istis vero, quae modo disputauimus, perspici nullo negotio potest, Magistrum Equitum ex hoc ipso officii sui genere no-
men suum traxisse. *Magisterare* enim idem erat ac *regere, tempe-
rare aut moderari, et MAGISTRI dicebantur omnes, qui magis-
ceteris poterant (23); quorum multa sane genera nemo necit
apud veteres Romanos existisse. Quoniam igitur Magister Equi-
tum moderabatur Equites, dictator vero vniuersum populum, hic
MAGISTER POPVLI (24), ille EQVITVM dictus est. Quae qui-*

B 2 dem

(19) Cf. ex CATONE GELLIVM
Noſt. Attic, lib. II. c. 19.(23) Haec FESTVS de verborum
ſignificatione v. magisterare in DIO-
NYSII GOTHOFREDI Authoribus

(20) apud LIVIVM lib. VIII. c. 38.

(24) VARRO de lingua latina p. m. 308.

(21) Antiq. Rom. libr. V. p. m. 338.

(22) I. c. p. 339.

(24) VARRO de lingua latina li-

dem nominis Magistri origo cum et auctoritate veterum nitatur, et rei natura, neque ex alienis linguis vocabula arcessenda sint, si fieri hoc absque vi ex lingua sua potest, non audienda est incepta PETRI TEXELII opinio (25), qui nescio quid? sibi visus est inuenisse, cum nomen Magistri a Nagasib, quod idem ac praeposuit s. praefecit in Samaritanorum lingua est, deducendum esse somnia-
verit.

VIII.

Altera ratio, quae Patres interdum ad dicendum dictatorem commouit, comitia erant, et haec quidem consularia. *Consularia* dico. Ad illa enim sola electos dictatores esse, nec ad alia, omnia obseruare licet exempla conferendo. Quod si vero, *electos* eos ad hoc comitiorum genus esse, contendo, negare id nequam volo, dictatores iure alia quoque comitia habendi fuisse ga-
vivos. Sed hoc ad eorum dignitatem aut iura, non ad finem per-
tinebat, cuius obtinendi caussa eligebantur. Dictatores autem ad insidenda habendaque comitia consularia fuisse dictos, nemini potest esse obscurum, qui perpenderit, nullum magistratum, nisi a maiori aut pari saltē, designari apud Romanos potuisse. Cum igitur Consules vulgo nominarentur a Consulibus, summo videlicet in Romana republica magistratu; his absentibus, dictator di-
cendus erat, qui in comitiis nouos consules designaret. Quam curam quemadmodum non, nisi absentibus Consulibus, dictatori commissiam fuisse, ex omnibus veterum Scriptorum locis perspi-
ciuum est (26); sic magno id potest esse argumēto, recte dixisse nos, quod non, nisi ad comitia consularia habenda, electi dictato-

res

bro IV. c. 14. apud eundem GÖTHÖ-
FREDVM pag. 15: *A populo Romano
dictator Magister populi appellatus est,
et antiqualex apud CICERONEM de
legibus libro III. cap. 3. Tom. IV. Ope-
rum Edit. ERNESTIANAE pag. 789:
OENVS, NE AMPLIUS SEX MEN-
SES, SI SENATVS CREVERIT,
IDEM IVRIS QVOD DVG CONSU-*

*LES TENETO, ISQVE POPVL
MAGISTER ESTO.*

(25) in *Phoenice* f. fictiae illius auis
descriptione symbolica, Amst. 1706.
4t pag. 104.

(26) Vide LIVIVM lib. VIII. c. 16
VII. c. 26, VIII. c. 7, XXII. c. 33.
aliisque locis,

res fuerint. Sed quonam hacin re Magistri Equitum functi mune-
re sint, hoc quidem apud Scriptores nusquam reperitur; itaque
probabili coniectura constituendum est. Nouimus scilicet, et de-
monstrauit id NICOLAVS GRVCHIVS (27), alias fuisse subinde
praeter eum, qui comitia habebat, rogatores, qui Centuriarum sen-
tentias rogarent postea ad proprium comitiorum rogatores referen-
das. Quamobrem facile in hanc ducor sententiam, ut, quamvis diuer-
sum paullisper eorum genus, qui centuriarum vota colligebant,
fuisse non ignorem; existimem interim, Magistrum Equitum in
comitiis consularibus a dictatore habendis, vices quasi gessisse *ro-
gatorum*, qui centuriatim suffragia colligebant, cum summus con-
tra rogator, qui ipsa comitia instituerat, antequam in suffragium
mitteret, populum rogaret vniuersum.

VIII.

Tertia dictatore dicendi causa quæstiones exercendae fue-
runt, et intestina imperii Romani oppressio a nonnullis tentata;
de vtroque enim causa simul dicere possumus, cum summi impe-
rii violenta captatio vel extra urbem vel intra eandem tentata fue-
rit; atque, si illud, ad officium dictatoris in re gerunda, quod su-
pra (VI.) terigimus, sin hoc, ad quæstiones exercendas pertineat.
Quæstiones vero exercere nihil aliud est quam iudicia publica habe-
re. Atqui haec iudicia, si extra ordinem instituebantur, populus
certo cuidam quaesitori demandare solebat; qualis etiam poterat
esse dictator, quem hac de re legimus QVAESTIONVM EXER-
CENDARVM CAVSSA dictum. Quain causa ad duo potissimum ad-
hibitus videtur Equitum Magister. Primo quidem nonnumquam, ut
reum in iudicium vocaret, quem, nisi ad dictatorem sequi vellet,
per apparitorem abduci iubere poterat; cuius rei insigne exstat
exemplum apud LIVIVM (28); qui, de iudicio a dictatore CINCIN-
NATO in MAELIVM habito, differens: *Mifsus*, inquit, *ab dicta-*
tore SERVILIVS Magister Eq. ad MAELIVM, *Vocat te*; *inquit,*

B 3

dicta-

(27) *de Comitiis Romanorum*; libro I Tom. I. p. 564.
in GRAEVII thesauro Antiquit. Rom. (28) lib. IV. c. 14.

dictator. Cum auidus ille, quid vellet, quaereret; Serviliusque caussam dicendam esse proponeret; tunc Maelius se recipere in ceterum suorum: postremo, cum apparitor iussu Magistri Equitum duceret, fidem plebis Romanae implorare. Deinde ipsum etiam cum dictatore quaestio- nem habuisse, apparet ex eo, quod, cum C. MAENIUS dictator animaduertere in nobiles vellet, qui vsquam coissent aduersus rem publicam, omnes clamarent, *Dictatorem Magistrumque equitum reos magis quamquaestores idoneos eius criminis esse*⁽²⁸⁾; quare non dictatorem solum, sed Magistrum Equitum hac in re iudices sedisse con- fitendum est. Quod, nisi fallor, ipsa antiqua illa lege apud TUL- LIVM⁽²⁹⁾ confirmatur: *EQUITEM CVM QVE QVI REGAT, HA-BETO PARI IVRE CVM EO, QVICVM QVE ERIT IVRIS DIS- CEPTATOR.* Qua in re Magistrum Equitum talem fuisse dictatori in quaestionibus exercendis suspicor, qualis *Iudex quaestio- nis* erat Praetori. Scilicet cum iudicia publica, quae consueto ordi- ne siebant, a Praetore haberentur; hic, quoniam omnia tanta cum cura examinare ac peragere non poterat, alium sumebat sibi, qui reliqua administraret omnia, quae praetor ob dignitatem vel oc- cupationes minus curabat⁽³⁰⁾. Enimvero iniudiciis publice praet- ter ordinem institutis quaestor loco praetoris eligebatur; quid igitur est quod dubitemus, quin eo in casu, quo dictatori iudi- cium publicum committebatur, Magister Equitum, tamquam *Iudex quaestio- nis*, minora ad iudicium pertinentia peregerit?

X.

Restant plura adhuc, ad quae gerenda dictatorem dictum fuisse supra demonstrauit (V.), nimirum SENATVS LEGENDI, SEDITIONIS SEDANDAE, REIPUBLICAE CONSTITVENDAE, CLAVI FIGENDI, FERIARVM CONSTITVENDARVM ET LVDO- RVM HABENDORVM CAVSSA. De eo enim non dicemus separati- m, quod dictator propter absentiam aut dissensum eorum di- catus

(29) apud LIVIVM libr. VIII. c. 26.

(30) de legibus libr. III. c. 3.

(31) Vide de hoc iudice GRV- CHIVM l. c. p. 554. et SAM. PITI- SCI Lexicon. Antiquit. Rom. Tom. I. p. 980. v. *Iudex quaestio- nis*.

Etus fuerit qui proprio huic illius magistratui praeerant. Namque hoc et cum cereris momentis conspirat, et ad caussas eius dicendi, non ad finem pertinet, quem per dictatorem Equitumque Magistrum obtinere Romani voluerunt. In iis autem muneric dictatorii partibus, quae definitae a nobis sunt, primo explicando munere Magistri Equitum in eo casu, quo dictator **SENATVS LEGENDI** dictus erat, possumus omnino supercedere, quoniam ad hoc non nisi semel et absque Magistro Equitum constitutus dictator est⁽³²⁾. Deinde in **SEDITIONE** a dictatore **SEDANDA** quaenam Magistri Equitum partes fuerint, ex iis colligi facile potest quae hoc usque de eius officiis (VI. VIII.) disputauimus. Omnis enim sedatio, quae sedanda dictatori oblata est vel extra urbem fuit⁽³³⁾ vel intra eamdem⁽³⁴⁾. Quod si illud acciderit, Magister Equitum, ut solebat in bello, Equites sine dubio duxit; sin hoc, quaestio nem cum dictatore habuit. In reliquis vero, quae excitauius, quodnam eius officium fuerit, certo definiri vixac ne vix quidem potest. Et videtur sane in his Magister Equitum vel ea dumtaxat de causa adiectus dictatori, quoniam id usu venerat a primis rei publicae temporibus, vel ut ipse maxima auctoritate dignitateque praeditus dictatori maiorem adhuc auctoritatem conciliaret; vel, ut, quocunque necessarium duceret dictator, hunc Magistrum mitteret, eiusque ope in exsequendis negotiis uteretur.

XI.

Sed de ipsis Magisterii Equestris dignitate adiicienda quaedam sunt; quae quidem praecclare potest ex eo intelligi, quod praeter dictatorem nullus fuerit magistratus, qui cum ipso in honore comparari potuisset. Namque in antiquis rei publicae Romanae temporibus, omnes statim se magistratu abdicabant, quotiescumque is fuerat cum dictatore electus⁽³⁵⁾ et omne apud utrumque erat in re publica impe-

(32) Cf. **LIVIVM** libr. XXIII. c. 22. 23.

(35) Hac de re inter alia testimonia lex exstat apud **CICERONEM** loc.

(33) **LIVIVS** VII. c. 39.

cit: **QVANDO MAGISTER POPVL**

(34) **LIV. IV. c. 14, VI. c. II.**

TVS NE SVNTO.

imperium. Verum id quod, his dictis, omnes reliqui magistratus nuncium officio suo miserint, eo videtur tempore fuisse sublatum, cum non repentinae belli aut tumultus causa solum, sed ad alia etiam (V) eligerentur dictatores, quae ipsis non sumnum in republica imperium, sed partes dumtaxat certa quadam in re maximas tribuebant, non vero requirebant, ut ceteri magistratus omnes absque imperio essent. Igitur recentiori ista aetate haec manebat tamen Magistro Eq. dignitas, ut *summa eius*, teste **VARRONE** (³⁶) *in Equites et aedificios potestas esset quemadmodum summa erat in populum Rom dictatoris.* Equites vero nobilissimam exercitus Romani partem efficiebant, sicuti totius ordinis summa erat post ipsum Senatum auctoritas. Maximi denique factam esse hanc Magistri nostri dignitatem, exemplo suo maximi magistratus docuerunt; eo quod non dubitauerint, munera sua cum dignitate Equitum Magistri commutare. Cuius rei non pauca exempla literis mandauit **LIVIUS.** Ille enim unum tribunorum militarium consulari potestate **C. SERVILIVM AHALAM**, refert (³⁷), alium quemdam collegarum suorum **P. CORNELIVM COSSVM** dictatorem dixisse, ipsum vero Magistrum Eq. postea ab eo fuisse creatum. Idemque (³⁸) et **P. LICINIVM CRASSVM**, Pontificem maximum Magistri Eq. dignitatem suscepisse, memoriae ut proderet, haud indignum iudicauit.

XII.

Hanc vero dignitatem non minus confirmant Iura, quae Magistro Eq. fuisse, commonstrabimus. Ipsi nimurum cum aliis quibusdam magistratibus id erat commune primum, ut *Senatum convocare* posset. Quamuis enim **VARRO** (³⁹) inter eos, per quos more maiorum senatus haberi solitus est, neque ordinarios neque extra ordinem constitutos, Magistrum Eq. excitet; neque tamen iure quis isto **VARRONIS** silentio fretus, negare hoc potest, cum alia existent monumenta, quae rem extra omnem dubitationem

ponere

(36) *de lingua latina lib. IV. c. 14.*
apud **GOTHOFRED.** I. c. p. 15.

(37) libro IV. c. 57. coll. c. 56.

(38) libr. **XXVII.** c. 7.

(39) apud **GELLIVM Noct. Attic.**
libro XIV. cap. 7.

penere videntur. Namque Q. FABIVS MAXIMVS RULLIANVS Magister Eq. qui, quoniam pugnarat inuito dictatore, atque propter hoc in iudicium vocatus erat, Romam ex castris, dictatoris iram paullisper declinaturus aufugerat; patre M. FABIO auctore, qui ter iam Consul dictatorque fuerat, exemplo Senatum vocavit (40); FABIVM vero hoc suaſum fuisse quis crederet, niſi conuenturos esse senatores, conuocante filio, praeuidiffet? id vero eos facturos non fuisse certum est, niſi hoc ius Magistro Equitum competere non ignorassent. Aliud exemplum M. ANTONII Equitum Magistri, quod ex DIONE CASSIO ZAMOSCIVS adducit (41) non commemoro, ne mihi id obiciatur, argumentum ab exemplis duci non posse, quae ad turbulenta rei publicae Romanae tempora pertinent, in quibus, cum inter arma leges filerent, CAESAR ac ANTONIVS ex voluntate omnia faciebant. Sed excipere quis forſitan posset, illud, quod adduxi, testimonium posse labefactari dicendo: locum istum LIVI etiam de patre FABII intelligi posse, quasi is senatum, non filius conuocasset. Quod vero mihi non satis videtur verisimile, quia Romae aderant Consules, qui FABIVM patrem auctoritate superabant; neque licebat, cum superioris in vrbe effent, ab inferiori quodam magistratu authomine priuato, Senatum conuocari. Omnem tamen, si quid video litem, si cetera incerta videntur, dirimit antiqua lex, quam CICERO (42) recitauit: CVM POPVL O PATRIBVS QVE AGENDI IUS ESTO CONSVLI, PRAETORI, MAGISTRO POPVL E QVITVM QVE; quod sane expressum legis testimonium, VARRO-NIS silentio multo praferendum esse nemo iure quodam inficiari poterit.

XIII.

Eadem quoque lex Magistro Equitum *ius tribuit comitia habendi*, dicens: ipſi ius competere agendum cum populo; quamuis hunc raro aut nunquam forte uſum hoc iure suo fuisse concedam, quo-niam

(40) V. LIVIVM lib. VIII. c. 33. in GRAEVII Rom. Antiq. theſauro

Tom. I. p. 991.

(41) de Senatu Romano lib. II. c. 3. (42) de legibus. lib. III. c. 3.

niam et proprie Magister Equitum magistratus militaris erat, et cum ad rem in vrbe peragendam cum dictatore communiter ageret, non facile inferiori magistratu, si superior adesset, qualis hic erat dictator, agere cum populo permittebatur. Interim non assentior GRVCHIO, harum rerum alioquin peritissimo scriptori, qui Magistrum Eq. comitia vñquam habuisse negat, iure tamen populi vocandi non caruisse, tum imperii eius magnitudine, tum eius cum Tribuno Celerum conuenientia motus contendit (43). Huius enim argumenta ex eorum genere sunt, quae non id vnicet quod erat probandum, sed multo plura, quae nolumus, auctoritate sua confirmant. Maximum enim potest esse imperium, alioque multo maius, quod tamen certa quadam dignitate alteri propria destituitur. Censores ipse GRVCHIVS paullo post monet, non habuisse comitia centuriata, quos tamen maximum profecto habuisse imperium, atque fuisse ex maiorum magistratum numero, constat inter omnes. Magistrum vero Equitum a Celerum Tribuno non discrepasse, (quod tamen vñica POMPONII auctoritate non satis efficitur), nisi perfecta vtriusque similitudo asseratur, ad ius cum populo agendi Equitum Magistro vindicandum nihil facit omnino, quia vt discrimen aliquod intersit necesse est, illud vero in iure comitia habendi vni horum proprio positum esse potest.

§. XIII.

Sed fueritne etiam imperium Magistri Eq aliqua ex parte vel interdum imperio dictatoris aquale? Non arbitror. At habemus tamen VARRONEM, qui Magistro Eq. summam potestatem in Equites et adscenos, vt dictatoris in populum fuisse affirmat; ac inuenimus Magistrum Eq. certis temporibus vices sustinuisse dictatoris, eumque fuisse aliquando pari dignitate cum FABIO MAXIMO dictatore praeditum (44). Agnosco id quidem, ea tamen lege facta haec omnia esse defendo, vt Equitum Magister dictatori vbiique inferior esset, quo vsque non nisi magistratum Equestrum

(43) de comit. Rom. lib. I. c. 3. p. m. 560.

(44) LIVIVS lib. XXII. cap. 26.

strem administrabat. Illud enim **VARRONIS** dictum non videtur id innuere, quasi eodem imperio omnibus legibus maiori, saltim in hac illiore officiū sui genere, instructus Magister Eq. fuisset; quis enim hoc vel veri cum specie aliqua commonstrare, aut negare potest, aliquem a Magistro Eq. potuisse ad dictatorem prouocare; aut quo pacto dicere **VARRO** potuisset, ex summo in equites imperio Magistrum Eq. nomen suum fuisse fortitum, quod potius ex eo adeptus est, quod Equites duceret. Igitur nec hac cum potestate aliud aliquid **VARRO** indicasse putandus est, quam id: Magistrum Eq. proprio equitibus adscensisque praefuisse. Locum porro dictatoris, fateor, in castris occupauit, quotiescumque hic sacrorum causa Romam profectus erat, ita tamen, ut eo absente nolenteque neque castra mutare neque manū conferere cum hostibus debuerit. Quam ob rem **T. SEMPRONIVS GRACHVS** (⁽⁴⁵⁾), qui, dictatore Romam profecto, castris Romanis praececerat, quamquam quae facile omnem patientiam vincerent, nunciarentur a **Casilino**, nihil mouit, quia praedictum erat dictatoris, ne quid, absente eo, rei gereret, et **Q. FABIVS MAXIMVS** (⁽⁴⁶⁾) atque **M. MINVCIVS RVFVS** ob id vnicum, quod contra mandatum dictatoris, quamuis feliciter, pugnauerant, in iudicium leguntur vocati. Vnicum denique exemplum est Magistri Eq. **M. MINVCII** Dictatori **Q. FABIO MAXIMO** imperio aequati; sed illud plane aliquid nouum esse, et quod nulla memoria annalium habeat, ipse **MINVCIVS** confitetur (⁽⁴⁷⁾), atque effectis hoc, ut legiones, equites castraque inter se **MINVCIVS** et dictator diuidenter, omnisque eorum societas, quae Magistro Eq. cum dictatore solet esse, expiraret. Neque id postea vnicum repetitum fuisse constat. **PLVTARCHVS** enim, qui (⁽⁴⁸⁾) paullo post cladem Cannensem Magistrum Eq. aequaliter **M. IVNIO** dictatori fuisse refert, videtur in errore fuisse versatus, resque plane diuersas miscuisse. Dictatori enim post

C 2 pugnam

(45) apud **LIVIVM** libr. XXIII. c. 19.

(47) apud **LIVIVM** lib. XXII. c. 27

(46) Vide Eundem libr. VIII. c. 30.

(48) in **FABIO MAXIMO**, loco

sq. et **PLVTARCHVM** in vita **FAB.** cit.

MAX. p. m. 179.

pugnam Cannensem M. IVNIO T. SEMPRONIVS GRACHVS Magister Eq. fuit (49), atque, cum maximis ob res gestas laudibus a dictatore efferreretur, eodem anno Consul designatus est (50), qua dignitate ipsi decreta Romae mansit, nec viderur Magistratum equestrem tenuisse diutius; saltim, si maxime dignitatem Consularem Dictatoriae aqualem esse quis satis incommodate dixerit, Consul erat, sed designatus. Cum vero T. SEMPRONIVS, ipse Consul, exercitum duceret, M. IVNIUS dictaturam iam prius deposituerat; siquidem IVNIE exercitum FABIO, SEMPRONII collegae, datum esse, LIVIVS aperte indicauit (51).

XV.

Insignia Magistri Equitum quo qualiaque fuerint, non satis liquer, cum mihi loca veterum desint, ex quibus id posset definiri ita ut in iis acquiescere possemus. Crediderim tamen, cum summa Magistri Equitum dignitas fuerit, isque potestatem habuerit in Equites, nec illum caruisse dignitatis signis, quae vel Equitibus ipsis vel magistratibus ceteris maioribus erant ornamento. Quapropter et LIPSIVS (52) practextam, sellam euralem sexque lietores ipsis ex DIONE CASSIO vindicat; quae recte LIPSIVS dixerit? dicere non audeo, qui DIONEM conferre non potui. Hoc vero singulare quoddam Magistri Equitum est, in quo ipsum quodam modo dictatorem superabat, quod ipsis equum ascendere liceret, dictatori non item, quippe qui hac de re prius, rex FABII MAXIMI exemplo appareret (53), populum rogare debuerit. Haberem praeter hoc aliud quid, quod vindicari tamquam insigne aliquod Magistro Equitum posset, si conjecturis standum esset, non testimoniosis certis. Remotum enim tunc non multum a veritate esse suspicarer, quod nisi semper, postremis tamen reipublicae tempore.

(49) Vid. LIVIVS libro XXII. LIPSII Roma illustrata ex recensione ANTONII THYSSI Londini MDCXCII denuo prodiit) pag. 27.

(50) Idem lib. XXIII, c. 24.

(51) libr. XXIII, c. 32.

(52) de magistratibus veteris pop. Rom, Cap. XVII. (qui libellus in IYSTI

(53) apud PLUTARCHVM invita eius p. m. 175.

temporibus, ad insignia Magistri Equitum *caligae clavatae et lacer-*
na, forte purpurea, pertinuerint. Est enim apud CICERO NEM lo-
eus (54) in quo, cum varia M. ANTONIO obiecisset, se habitum-
que suum cum ANTONIO componens. *Quod querebas, inquit,*
*quomodo rediſsem? primum luce, non tenebris; deinde cum calceis et ro-
ga, nullis nec caligis, nec lacerna. Et paullo post: *Ex omnium omni-*
bus flagitiis nullum turpius vidi, nullum audiui, quam quod qui Magister
Equitum fuisse tibi videre, in proximum annum Consulatum peteres
vel potius rogares, is permunicipia coloniasque Galliae, cum caligis lacer-
na cucurriti. Atque hoc quidem in loco illud: *qui Magister Equi-*
tum fuisse tibi videre, sic, fateor, potest intelligi, quasi ANTONIVS
Consulatum rogauerit, persuasus, hunc honorem sibi, qui Magis-
ter Equitum fuisset, negari non posse. Sed quoniam in hac ora-
tionis parte Cicero disolutam magis vitiendi rationem neglectum-
que decorum, non scelera, ut ita dicam, politica obiciat ANTO-
*NIO, haud absolum videtur esse, si dicam: haec verba ita esse ac-
cipienda, ut ANTONIVS cum caligis et lacerna cucurrisse intelliga-
tur, quod sibi videretur has per administratum huc usque Equeſtre
magisterium gerere quodam modo potuisse. Atque concessio hoc
horum verborum sensu, possunt ex isto loco et lacerna et caligae,
tamquam insigne aliquod Equitum Magistro afferi. Quamuis enim
IVLIVS NIGRONIVS (55) existimet: *caligas non nisi gregariorum*
fuisse, ipse tamen non modo concedit aliquantum (56) etiam Cen-
turionum fuisse hoc calceorum genus, sed probari id etiam potest
exemplis a IOANNE FRIDERICO DVRRIO adductis (57) ipsos le-
gatos aliosque caligas gesisse; Equitum vero Magister in bello erat
distractori, quod Imperatori legatus. Atque si eorum caligae, qui
superioribus inter milites officiis praeerant, clavis argenteis aliisque
*instructi fuerunt (58), conicere nefas non est, Magistrum Equi-***

C 3

u m

(54) in *Oratione Philippica* 2. cap. 30.(57) diff. priori *de veterum calcea-*(55) in diff. *de caliga veterum*. Cap.
III. Edit. IOECHERIANAE pag. 106.
seqq.mentis, caliga, ocrea, calceo et soleæ
§. V.

(56) I. c. §. 7. p. 114. seq.

(58) quarum icones NIGRONIVS
exhibit I. c. pag. 146 et BALDVINVS
de calceo antiquo Cap. XIII, p. m. 118.

tum his eriam fuisse exornatum. Quod de lacernis non minus vallet. Has enim genus vestimentorum militarium, et eas nonnumquam coccineas purpureasque fuisse OCTAVIUS FERRARIUS multis veterum locis comprobauit (59).

XVI.

Tametsi vero Magister Eq. in maxima, vt vidimus, dignitate fuerit collocatus, neque tamen eius, vt ita dicam, humilitas plane silentio praetereunda est. Scilicet cum dictator summa esset et quasi regia potestate, Magister Eq. ea lege adiunctus dictatori erat, vt ipsum morem gerere mandatis eius omnibus oporteret. Eum enim mittere, et, vbicumque volebat, in acie collocare dictator iure suo poterat (VI), ipsi autem Magistro cum hoste, dictatore inuito, configere non licebat. Pariter, quemadmodum a solo dictatore Magister Eq. dignitatem nanciscebatur, quod infra monstrabimus, ita iubere etiam dictator eum poterat, vt se abdicaret magistratu (60). Denique si quid officii praetermisserat sui, a nemine quidem alio, quamdui Equitum Magister erat, in ius poterat vocari, vt docet M. FOSLII exemplum, ius tamen dictatori erat in vincula ipsum coniiciendi, ipsaque vel indicta caussa eum mastandi suppliciis (61). Atque hoc est, quod ipse Equitum Magister apud LIVIVM (62), liberatus a potestate dictatoris, confiteretur: *Magistros Equitum virgas atque secures dictatoris tremere atque horrere solitos fuisse; et F. MAXIMVS, quamvis in eo peccasset solum, quod cum hoste pugnasset contra dictatoris voluntatem, certe mortem non effugisset, siquidem iam iussicerat dictator virgas atque secures expediri (63), nisi et principio ausfugisset, et postea pertinacissimis ipsius populi precibus commotus fuisset PAPIRIVS, vt Magistro Equitum vitam liberaliter concessisset.*

XVII.

(59) prius Parte II. *de re vestiaria* lib. I. Cap. 1. seq. posterius ibidem cap. XXIII. seq.

(60) LIVIVS lib. IV. c. 34.

(61) PLVTARCHVS in FABIO

MAXIMO p. 179: ἐγένετο τῷ δικτάτωρι καὶ Σαυτάρωσι πρὸ δίκαιης εἰσεστεῖ.

(62) libro XXII. c. 27.

(63) ap. LIVIVM libr. VIII. c. 32.

XVII.

Adiicienda postremo quaedam sunt de Magistri Equitum electione, de qua disputari breuissime poterit. Quotiescumque a Consule dictus dictator fuerat, huic soli ius erat Magistrum Eq. fibi, quem vellet, eligere; id quod confirmatur tot exemplis, quot in historia Romana creati Equitum Magistri leguntur. Atque euidem non dissitior, videri interdum hoc factum a dictatore non esse sed ab aliis. P. VALERIVM enim ex Tribuno Consulari Equitum Magistrum LIVIVS⁽⁶⁴⁾ dicentem inducit; M. FVRIVM *fibi pro dictatore, sequi ei pro Magistro Eq. futurum*; idemque alio loco⁽⁶⁵⁾ P. LICINIVM CRASSVM, ait, ex plebiscito a dictatore electum fuisse: sed, re accuratius pensata, ita se rem habere, quomodo diximus, appetet. VALERIVS enim, tamquam Equitum Magister, his verbis CAMILLVM non dictatorem dixit, ipse enim iam primum hanc nouam dignitatem a CAMILLO, ut praecedentia docent, impetraverat. Itaque his tantum lubenter se imperii societatem cum CAMILLO inire confiterut. Alterum vero plebiscitum, ex quo a Q. FVLVIO dictatore Equitum Magister dictus est, non videtur obtulisse quidem dictatori P. LICINIVM CRASSVM, sed iussisse, ut dictator Magistrum Eq. diceret, quamuis ipsi hunc illumue eligere liberum omnino fuerit. Cuius rei ratio eadem est, si quid iudico, ac istius potestatis, quae ex plebiscito Censori aliive, senatum legendi, data est, in quo tamen casu Censor, prout quis ipsi idoneus senator videretur, alterum alteri praeferre in eligendo poterat; quamuis haec ipsa nouorum Senatorum designatio ex plebiscito facta sit.

XVIII.

Antiquis rei publicae temporibus non ex equitibus semper Magistrum Eq. electum fuisse constat ex L. TARQVINII exemplo⁽⁶⁶⁾; qui, licet ob paupertatem stipendia pedibus fecisset, bello tamen primus longe Romanae iuuentutis habitus et Equitum

Magis-

(64) libro VI. c. 6.

CARNASSEVM libro X. p. m. 651.

(65) lib. XXVII. c. 5.

et LIVIVM libr. III. c. 27.

(66) apud DIONYSIVM HALI-

Magister A. V. C. **CCCLXXXVI**, dictus est. Neque tamen ea aetate videtur aliquis ad hanc dignitatem peruenisse, qui gentis patriciae non esset, siquidem sub initio rei publicae praeter patricios nemo admissus ad quemdam magistratum fuit. Sed temporis successu, in primis cum Tribuni plebis omnia turbassent, tandem A. V. C. **CCCLXXXVII**, primus ex plebe Magister Eq. dictus est **C. LICINIVS**⁽⁶⁷⁾, quamuis id aegre admodum patres paterentur. In conferendo autem magistratu nostro non vbiuis obseruatum est hoc, ut eo non nisi Consulares douarentur, multa enim exempla prostant in partem contrariam⁽⁶⁸⁾), licet negari non possit, plerumque electos in dignitatem istam antea iam Consularem dignitatem suffinuisse.

XVIII.

In comitiis, nisi forte Senatus populum rogare voluit, nostrum non fuisse dictum, (quod in aliis magistratibus maioribus, ordinariis tamen, fieri solebat), iamdudum a **NIC. GRVCHIO** demonstratum est⁽⁶⁹⁾; neque me morabitur quaestio illa: dictus-ne noctu fuerit? quod de dictatore nouimus. Tametsi enim **FRANCISCVS HOTOMANNVS**⁽⁷⁰⁾ id satis audacter, **LIVI** au-
toritate nifus, affirmet, qui saepius dicit: noctu nominatum dictatorem deinde Magistrum Eq. dixisse: non tamen hanc ratiocinandi vim capio, cum existimem illud deinde etiam a **LIVIO** adhiberi potuisse, quamuis interdu dictus Magister Equitum sit. Id vero certius est, electionem eius non ratam fuisse habitam, nisi dictator, a quo creatus fuerat, vt ait **CICERO**, aue sinistra dictus esset, hoc est: bonis auspiciis, nihil enim publice sine auspiciis nec domi nec militiae gerebatur⁽⁷¹⁾. Quodsi igitur vitio creatum dictato-rem,

(67) Vide **LIVIVM** libro VI. c. 39.

(68) apud eundem libro III. c. 27. III. c. 21, V. c. 19 cet.

(69) libro I. de Comitiis Rom. c. 2. p. m. 542-44.

(70) in descriptione magistratum Romanorum (quam recudi in Iuris publici Rom. Tem. III. curavit **CLAV- SINGIVS**) pag. 622.

(71) **CICERO** de divisione libr. I. c. 2.

rem augures censuerunt, imperium statim cum Magistro Equitum depositum (72).

XX.

Breue fuit Magistri nostri imperium; cessabat enim cessante dictatoris officio. Nimurum quia Magister Eq. absque dictatore esse non poterat (III), ipse etiam, eo imperium deponente, magistratus se abdicabat. Dictator autem, nisi ex singulari patrum benevolentia aut voluntate imperium eius prolongaretur, sex menses potestatem suam exercere poterat (73), solebat tamen, atque cum eo Magister Eq., clavum imperii deponere, quando id, cuius causa dicti erant, fuerant executi (74). Quod factum in primis est ab iis, qui leuioris rei gerendae causa imperium acceperant; nulla enim aderat ratio munus retinendi, si officio iam suo ex patrum voluntate satisfecerant.

XXI.

Tandem omnis haec Magistri Equitum dignitas quemadmodum cum republica fere orta erat, sic, illa etiam eversa, expiravit. M. enim ANTONIVS, Caesare interfecto, consentiente applaudenteque senatu vniuerso, dictaturam, quae vim iam regiae potestatis obfederat, SCto funditus e re publica sustulit (75). Neque mirum hoc est, quod postea de dicendo dictatore deliberatum non sit. Imperatores enim iam summa rerum potiti, dignitatem ipsa dictatoria maiorem sustinebant, Magisterii Equestris vero umbra quaedam in dignitate Praefecti Praetorio remansit. Evidem non ignoro, reperiri etiam sub Imperatoribus Equitum Magistros,

Magis-

(72) Huius rei exempla habet LIVVS libr. VIII. c. 15 et 17.

(73) Vide DIONYS. HALIC. lib. V. p. m. 334.

(75) Ita CICERO *Oratione PHILIPPICA* I. cap. 1, 2, et 13.

(74) LIVIVS lib. XXIII. c. 23, lib. VIII. c. 18., VII. c. 28, et cetera.

Magistris militum oppositos, quorum ex SCOTI, ut creditur, *notitia Imperii* mentionem iniicit GODESCHALCVS STEWARTIVS⁽⁷⁶⁾, qui tamen, quales fuerint, non exponit. Verum hos Equitum Magistros maxime ab iis diuersos fuisse, qui rei publicae temporibus fuerant, satis apparer ex eo, quod ZOSIMVS⁽⁷⁷⁾ de his a CONSTANTINO M. institutis, memoriae prodidit.

Ego vero nunc ad te reuertor, FAVOR ET AMICE PRAESTANTISSIME, cuius adhuc incundissima consuetudine, nunc solo desiderio mouebor. Et quidni mouerer? cum, quae singula inter alios amicitiam conciliare solent ad animos nostros coniungendos concurrerint vniuersa. Primis enim aetatis meae annis, cum cura parentum nos, quos dudum natura ipsa animorumque maxima consensio, coniunxit; quoad licet, numquam a latere TVO discessi, videbaturque mihi nullum tempus rectius quam in consuerudine TVA collocatum. Postea cum prodeuntibus subinde annis cresceret amicitiae sensas, efficiebat studiorum aequalitas, ut TE non natura solum moribusque, sed studiis etiam et doctrinae sapientem proponerem mihi exemplar virtutis, cuius ductu ad sapientiam eniterer multo vigilantiis. Numquam profecto ex animo meo descendet gratissima illius felicissimi temporis memoria, quod in studiis omne contriuimus, vbi quaestiones ponere me, TE responsa acute ferre memini. Quarum rerum recordatio quo magis infidet animo meo, eo magis mouebar tali amico orbatus, cuius amicitia ipsa diuinitatibus confirmata facit, ut paene succenserem fortunae TVAE, nisi Deo me TE debere scirem, qui non TE mihi solum, sed aliis etiam clementissime

(76) in Commentario ad VEGEVITVM de re militari pag. 189.

(77) Historiae libro II. cap. 33. Ed. CELLARIJ p. 189.

me indulgere voluit. Quia in re cum sapientissimam eius admirer prouidentiam, quae TE in istum, ad quem occupandum nunc discedis, locum euexit, gratulor TIBI hanc aliorum commodis Iuculentius inferuendi occasionem honoremque TIBI dignissimo collatum; VENERANDO PATRIVO tam praeclarae indolis filium, mihi vero ciuem, et quod iucundius dictu est, amicum, non sapientia ac probitate minus quam benevolentia praestantisimum. DEVUM QVE supplex veneror, VR, qui in TE ornando atque euehendo fuit occupatisimus, tantam TIBI felicitatem, quantam virtutes TVAE merentur, quo quis tempore largiatur. Vale igitur,

AMICE DESIDERATISSIME, animo que TVO non me dese-
rente sed respectante ita me habeto infixum, ut amicitia
nostra ipsam teneat immortalitatem.




CK 2825



f

VD 18

B.I.G.



82

DE
MAGISTRO EQVITVM 1320
EX
ANTIQUITATE ROMANA
COMMENTATIO
VIRO CLARISSIMO
CAROLO AVGUSTO
STRVENSEE
PHILOSOPHIAE ARTIVMQUE LIBERALIVM MAGISTRO
NVNC
IN ACADEMIAM EQVESTREM LIGNITIENSEM
MATHESEOS AC PHILOSOPHIAE
PROFESSORI VOCATO
DICATA
A
IOANNE AVGUSTO NOESSELT
HALENS.

HALAE MAGDEBURGICAE
EXCVDEBAT IOAN. FRID. GRVNERT.

M D C C L V I L

